

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Rerum index:

De subsidiis quibus eget res latina commentationes. - II.

De Syllabi Pii PP. X propositione XXXVIII.

Philosophicae disputationes Modernistam inter et Thomistam. —

De actus voluntarii dependentia erga actum rationis — Quid sit iudicium liberum penitus investigatur.

Ex Italis urbis. De magno artium certamine insigniter Augustae Taurinorum indicto. - III.

Garduellis Evelinae.

Petrus Angelini.

Beo PP. XIII ad sepulcrum B. Petri. (Carmen P. ANGELINI).

Stili lapidarii elementa.

Paroemiae sive Adagia. Eum ausulta, cui quatuor sunt aures.

Ex Sacris Congregationibus Romanis sententiae novissimae selectae. Ex Congregatione Consistoriali. — Ex Congregatione S. Officii. — Ex eiusdem Congregationis sectione de Indulgentiis. — Ex Congregatione Rituum.

Diarium Vaticanum.

Annales: Mauritani civile bellum. — Albanensis seditio.

Publici per orbem coetus legibus ferendis.

Per orbem.

Ioci.

Epistolarum commercium.

Socis et lectoribus monitum.

Aenigmata.

Appendix: Euplius.

DE SUBSIDIIS QUIBUS EGET RES LATINA COMMENTATIONES⁽¹⁾

II.

In hac quae nunc habetur diversitate sententiarum de optima pronuntiatione sermonis latini, quaecumque argumenta pro hac aut illa consuetudine afferuntur aut afferri possunt, in clariori luce sistemus diiudicanda, si prius nobiscum reputaverimus ad quosnam usus curricula latina spectent, h. e., utrum ad solam antiquitatis cognitionem referantur, an etiam ad aliquam saltem hodiernarum rerum communicationem viva voce efficiendam adhibeantur. Quod si omnem omnium industriad perfectio latinarum litterarum et rerum antiquarum notitia sibi vindicant, tum recte et merito defendentur quaecumque rei latinae administrandae rationes ad antiquitatis puritatem per omnia conservandam, omni depulsa modernitatis admixtura, pertinere videbuntur; sin autem et nostrum quoque qui hodie sumus interpretem latinum sermonem fieri expedit et melior commodiorque existimatus ea docendi ratio quae confabulandi exercitationibus utitur, quis tandem linguae latinae amator dubitat utrarum partium sententias exsequatur? Namque nullo modo fieri potest ut omnia simul possideamus; si in vetere tantum Latio versari malum, furca expellenda sunt quaecumque ab antiquitatis finibus digitum transversum discedunt et summo studio expetenda est vel minima particula veritatis archaeologicae - quae quidem veritas profecto non minus sonis constat quam vocabulis: scilicet nemo

genuinum sermonem usurpari putaret aut risum teneret si quem deprehenderet in germanica lingua Italorum vocalibus utentem.

Quamquam haec similitudo ei rei quam consideramus non omni ex parte convenit, quum non per saltum, ut aiunt, ad nos devenerit lingua latina, sed traditione perpetua; neque Graeci probabili defensione carent, qui hodiernos sonos per diuturnam traditionem conservatos at ab aurea aetate longissime discrepantes constanter adhibent ac tutantur. Simili prorsus ratione nobis fateri licet nulla in gente conservari puritatem antiquae Romanorum pronuntiationis et hanc quam recentiores doctores astruxerunt ad veterum usum proxime accedere; immo vero concedi etiam potest indolem gravitatemque sermonis latini veris illis sonis ipsius optime referri atque exprimi: neque quisquam infitias ibit quin declinationes vocum et derivationes clarius explicentur si suus cuique voci sonus tribuatur; nihilominus tamen in praxi paedagogica non consequitur ut huic minutiarum subtilitati universos tirones mancipare debeamus et, dum pauculas vocum inter ipsas commutationes magis perspicuas reddamus aut carmen aliquod Horatianum ore vere latino canamus, societatem auxiliaque eorum quibuscum alioqui coniunctis viribus agere poteramus prae vana imagine aspernari. Verum enimvero nihil obstat quominus aliqua severitas doctrinae academicae cum generali libertate componatur. Quoties enim quique tironum ad philologicas quaectiones eruditur? cui, quaeso, praeccluduntur digressiones in dumeta et vepreta hinc illinc apparentia, si universum agmen expeditiori itinere ducitur? Saepenumero animadverti indignabundus in aliqua classe primi anni neglegi vocabulorum si-

(1) Cfr. num. sup.

gnificationes ususque et curiosam dari operam nescio cui syllabae antepaenultimae cuius forte lateret proprietas phonica: scilicet nascebatur *ridiculus mus!*

Non est igitur mirum si in huiusmodi incommodis et multis parentibus suspecta latina studia sunt et - quod vehementer dolendum - si ipsis discipulis taedium odiumque pariunt: multo magis est mirandum quod quum tanta insulsitas huic disciplinae aduersetur, tamen in omnibus tere scholis superioribus non modo non omissa sunt curricula latina, sed a plurimis pueris suscipiuntur. Quod autem postea neglegentius plerique agunt, non ipsorum inertiam levitatemque arguo, verum eorum qui rem latinam administrant in docendo futilitatem. Mihi credite, non sponte abhorrent pueri Americani a studiis latinis, sed ex contrario novitate sermonis magniloquentiaque alliciuntur et trahuntur. Omnes, opinor, pueri amant quidquid intellegunt, et studiose colunt eas disciplinas in quibus progressus maiores a se fieri sentiunt; neque tam difficultas discendi eos a studio deterret, quam obscuritas rerum minus clare expositarum et intellegendi desperatio. Nostra erit aut culpa (si libertate agendi fruimur aut infortunium si alienis praceptoribus uti cogimus) nisi in rectos usus hanc indolem puerilem converterimus.

Quaedam pars pronunciationis sermonis latini eadem apud omnes semper et ubique fuit, nempe accentuatio; qua in re misereri possumus fratrum nostrorum, qui in Anglia graecas litteras docent. Hi enim, nescio qua perversitate provinciali ad ducti, in scribendo quidem apices accentuationis graecae apponere solent, in recitando autem ictus Graecorum latina ratione commutant. Duplicem igitur errorem admittunt ut de patro sermone sonos, de latino accentus ad graeca transferant. Sed beneficio consuetudinis illius latine loquendi, quae iam inde ab incunabulis linguae latinae usque perseverat, factum est ut etiam inter novatores academicos vix ulla esset de accentibus dissensio. Quamquam ne in accentibus quidem desunt qui nonnihil immutare velint: quidam de meis praceptoribus latinis vir ob doctrinam longe lateque clarus atque de studiis grammaticis egregie meritus, in verbis qualia sunt *censen* et *produc* ultimam acuere solebat eo quod ex contractione deisset prisca syllaba (scil. *censen* pro *censesne*); ceteroquin si quid mutant nostrates, non tam innovant quam corrigunt, ut cum *angina* media correpta efferendum esse monent.

Deinde in ipsis elementis considerandis non una quaeque littera in disputationem dissensionemque venit, sed in generali diversitate varii cernuntur

partium inter ipsas consensus. Quod quum ita sit, sequitur ut in nulla pronuntiatione omnes litterarum sonos mutatos velimus, sed in aliis alias vel magnopere praferendos, vel omnino tollendos, vel paululum immutandos atque levigandos censeamus.

Me pueri, tres pronunciationes linguae latinae in libris elementariis memorabantur, romana (quae vera atque antiqua esse habebatur et postea a plerisque nostrum suscepta est) et anglica (quae in America dudum extincta est) et continentalis; scilicet Itali, Galli, Germani, Hispani eamdem pronunciationem habere putabantur. Neque iniuria; nam testis est quisquis in scholis theologicis praelectiones latinas audivit quam facili negotio harum gentium homines latine inter se colloquantur. Quae renti autem mecum cur et quatenus haec res ita se haberet, subiit mihi conclusio hanc uniformitatem continentalem in vocalibus et diphthongis consistere, consonarum autem diversitatem, qualiscumque es set, minoris esse momenti, saltem extra *c* et *g* litteras et fortasse *j*; deinde ne academicam quidem pronunciationem Americanorum (exceptis *ae* et *oe* diphthongis) longius quam ut satis facile intellegetur a continentali consuetudine afuturam fuisse, nisi curiositate ista circa minutias syllabicas tan topere laboraret.

Quae quum ita sint, restat ut videamus quam agendi rationem ad hanc rem componendam communi consensu inire possimus. Meo quidem iudicio, nihil aliud opus est, nisi ut temperantiam in propriis cum alienarum diversitatum aliqua notitia praestemus. Nemo de sua consuetudine cedet; licet tamen postulare ab eis qui scholas regunt ut laxetur rigidior severitas et permittatur subinde quae dam variandi libertas; si sperari non potest fore ut in Europa *c* littera ad durum sonum redeat aut ut in America *ae* et *oe* diphthongi ad *e* simplicem transeant, saltem innotescant hae discrepantiae, neve festinantiori censura damnentur. Item augeatur et confirmetur usus latine colloquendi. Nam qui interpretis loco latinum sermonem habere instituerunt, hi minoris (ut par est) faciunt ea quae sensum orationis non attingunt. *Clavus, clavo pel litur.*

(Continuabitur).

THEODORUS T. CHAVE.

Apis acriter pungit et mel conficit: sic parvo corpore anima ingeniosa et acerrima vi et et doctrinae suavitatem profert.

S. HIERONYMUS.

De Syllabi Pii P.P. X

propositione XXXVIII.

Fatebatur Lutherus (1) « hominem perditum, a peccatis omnibus, a morte atque a diaboli potestate per sanguinem pretiosum Iesu Christi fuisse redemptum ». Verum, circa mortis I. Christi valorem, aequivoce loquutus est ipse, aequivoce loquuntur asseciae eius. Solummodo ut alios a morte protegeret, ita Ritschl tenuit, Christus Iesus mortuus est; vel ut a mortis atque doloris moralibus augustiis homines liberaret, uti Wendt placuit, Christus Iesus vitam dedit, quum (MATTH. XI, 28) dicat: « Venite ad me omnes, qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos ». Servitus a qua per mortem Iesu Christi liberati sumus, inquit Beyschlag, nonnisi servitus a spiritu peccati est. A. Harnack (2) tria esse motiva mortis Iesu Christi retinuit: 1^o Sacrificii cuiusque cruenti destructionem; 2^o Historiae bonum atque progressum, quum ex historia satis sit compertum iustoruim poenas ac mortem in hunc scopum fuisse destinata, uti in Lutheri persona factum est, qui « infra septa monasterii pro se et pro aliis, usque ad sanguinem luctavit »; 3^o Penes humanitatem ingeniti conceptus confirmationem, secundum quem peccata et iniustitiae, nonnisi per punitionem aliquam ac expiationem quamdam, remittuntur.

A. Loisy (3), A. Harnack sententiam commentans, haec habet: « Mors Christi fuit conditio quaedam a Providentia statuta, a Deo volita, atque a Christo pro resurrectione accepta. S. Marci (x, 45) verba: « Filius hominis non venit, ut ministraretur ei; sed ut ministraret et daret animam suam redemptions pro multis » per S. Paulum inspirata fuere. Idipsum de institutionis Eucharistiae narrationibus affirmandum esse videtur. Iesus Christus, si primitivo S. Lucae (4) textui stemus, dum calicem et panem discipulis porrigit, ac mortem suam, futuramque cum suis discipulis unionem indicat, nihil de mortis sua charactere expiatorio vel redemptivo dixit ». Praefatis scriptorum sententiis, valorem omnem redemptivum mortis Iesu Christi negari paullisper consideranti manifestum fiet; propterea contra errantes est propositio trigesima octava Syllabi PP. Pii X, ex scriptis Loisy (5) desumpta: « Doctrina de morte piaculari Christi non est evangelica sed tantum paulina ». Propositionem huiusmodi brevi subiiciamus examini, ut inde eius falsitas eruatur.

(1) SCHAFER *Katechismuslehre* § 59. — (2) *Das Wesen d. Christentums* p. 99-100. Cf. FEI *Theol. Dog.* 3 vol. n. 122-132. — (3) *L'Évangile et l'Église* III, IV. — (4) XXII, 18, 19, jusqu'aux mots « Ceci est mon corps » la suite, (addit Loisy) du v. 19 et le v. 20, ont été pris de la première Epître aux Corinthiens (xi, 24, 25) et semblent avoir été ajoutés après coup. »!!! — (5) « J'ai dit de cette doctrine (« L'Évangile et l'Église » 115) qu'il « n'est pas prouvé qu'elle appartienne à l'enseignement de Jésus et à la foi de la première communauté »; (199) que « l'on chercherait vainement dans la prédication du Sauveur une doctrine du péché et de la justification »; et (Autour d'un petit livre, 124) que « la théorie de Paul est conçue en vue des Juifs et des juïsants, pour justifier l'introduction des Géntils dans l'Église et l'autonomie du Christianisme ». Simples réflexions p. 82.

**

Christum Iesum characterem omnimode redemptivum morti suae tribuisse in Evangelis synopticis invenimus. Brevem quorundam textuum analysim instituamus.

I. Sit Evangelistae Marci textus (x, 45): « Nam et Filius hominis non venit, ut ministraretur ei; sed ut ministraret et daret animam suam (λύτρον) redemptionem pro multis ». Iamvero vocabulum λύτρον quum sit hebraici *copher* versio, nonnisi redemptionsensu catholicō acceptam significare potest, ita ut protestantium interpretationes omni litterali atque theologico fundamento destituantur. Nonne multis S. Scripturae locis (1) idem vocabulum eamdem praesefert significationem? Per λύτρον siquidem captivus a captivitate alius ab onere debito, alius a morte quam meruit liberatur. Nonne diversarum scholarum critici sensum « redemptions » eidem vocabulo continuo tribuerunt?

II. Sint verba Eucharistiae institutionis a Iesu Christo prolatā et a S. Mattheo (xxvi, 28) necnon a S. Luca (xxii, 20) nobis relata: « Hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum ». « Similiter et calicem, postquam coenavit, dicens: Hic est calix, novum testamentum, in sanguine meo, qui pro vobis fundetur ». In momento absque dubio solemnitate circumdato, quod mortem Christi praeedit, Iesus Christus verbis recensis *a) alloquitur* conciso modo Iudeos, quibus sacrificii, expiationis, ac redemptions ideae familiares erant; *b) Apostoli* quos Iesus Christus alloquitur, non secus ac Iudei ceteri, novum expectabant pactum iuxta Prophetae Ieremiae (xxxii, 33) verba: « Sed hoc erit pactum, quod feriam eum domo Israël post dies illos, dicit Dominus: Dabo legem meam, etc. ». Rursus persuasum erat eis remissionem peccatorum impossibilem esse, sine sanguinis effusione, quum (*Hebr.* ix, 22) legatur: « Et omnia pene in sanguine secundum legem mundantur; et sine sanguinis effusione non fit remissio ». Propter haec omnia, verba a Iesu Christo in Eucharistiae institutione prolatā, plane aenigmatica, obscura, inintelligibilia sunt, nisi in sensu redemptions catholicae, ab Ecclesia determinato, accipientur. Non alia ex causa proinde Apostolus Paulus perpetuo docuit genus humanum per mortem, crucem et sanguinem Iesu Christi, Deo fuisse reconciliatum. Ita in *Rom.* v, 10: « Quum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii eius »; in *Ephes.* ii, 16: « Reconciliat ambos in uno corpore Deo per crucem, interficiens inimicitias in semetipso »; *Colos.* i, 20, « Per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis eius, sive quae in terris, sive quae in caelis sunt ».

III. Evangelia attente legenti, totam vitam Iesu Christi nedum morum *disciplinam*, sed ulterius *redemptionis* fuisse, notum fiet. Redemptionsen quidem so-

(1) *Is.* XLV, 13, *Num.* III, 46-51, *Exod.* XXI, 30; *Num.* XXII, 31; *Proverb.* XIII, 8.

nant verba Christi quibus, discipulis ac turbis *Pater caelstis* revelatur; quibusve tamquam vitae moralis scopus, lex imponitur: «Estote perfecti, sicut perfectus est Pater vester qui in caelis est». Redemptionem quoque sonant *mirabiles virtutes* quibus fides primitiva producitur vel fundatur; redemptionem commendat *Ipsa Christi Persona*, dum publicanos ac meretrices ad poenitentiam adducit. Supra quae omnia vero, redemptionem praedicat Iesu Christi sanguis, qui in remissionem peccatorum pro multis effundetur. Quamvis privilegiis propter miraculosam nativitatem neconon personalem unionem praeditus, Christus Jesus vere «Filius hominis» vitaeque humanae infirmitatibus subiectus efficitur, et in omnibus, etiam in morte nobis assimilari debuit. Voluit Ipse cruentae morti obviam ire, ad instar victimarum quibus Ille, tamquam hostia pacifica successit. In sanguine, qui in Gethsemani ac Calvariae loco effunditur, virtus mirabilis purificans et absolvens absconditur.

Addendum hisce omnibus, Iesum Christum in Evangelii continue affirmasse *a) Filium hominis debuisse mori; b) ad regnum Dei fundandum ac perficiendum; c) ad huius regni membrorum acquisitionem; d) ad peccata neconon peccatorum poenas quae regni Dei impedimenta sunt tollenda*. In hisce vero omnibus vera redemptio sensu catholicō edocta fundatur; ideoque ex ore Ipsiū Christi, mors Christi vero charactere redemptivo praedita est.

Modernistis vero asserentibus, Evangeliorum textus a S. Paulo inspiratos esse, respondemus: S. Paulum vividiori modo characterem redemptivum mortis Iesu Christi manifestasse (1); rursus dum ipse ad Corinthios scribens, Coenae celebrationem cum suis characteribus tum redemptivo, tum expiatorio nobis refert, nonnisi Traditionem sequutus est, ait siquidem: «Ego enim accepi a domino, quod et tradidi vobis». (2)

Propterea merito in Concilio Vaticano, canon quidam, temporis defectu nondum publici iuris factus, invenitur, cuius verba huiusmodi sunt: «Si quis non confitetur ipsum Deum Verbum in assumpta carne patiendo et moriendo pro peccatis nostris, potuisse satisfacere vel vere et proprie satisfecisse, anathema sit».

Friburgi Helvetiorum.

P. REGINALDUS FEI O. P.

(1) Rom. v, 10; Ephes. ii, 16; Coloss. i, 20 — (2) I Corint. xi, 23: «Anche ad ammettere, del resto, che i testi di S. Luca e di S. Marco e le espressioni equivalenti di S. Matteo siano veramente interpolati o scritti sotto l'infusso della dottrina paolina, ciò non prova ancora esser falsa l'affermazione di S. Paolo quando egli attesta che predicando Gesù morto per la salute del genere umano, non fa se non trasmettere quel che ha ricevuto egli stesso. I testi dei Sinottici cesseranno in alz ipotesi, d'essere la conferma diretta di ciò che Paolo assurisce, ma restan sempre l'eco fedele d'una tradizione anteriore a Paolo. E se la Tradizione, non ha ritenuto almeno il senso generale delle più solenni parole d'addio pronunziate da Gesù, bisogna allora rinunziare ad ogni certezza». Ita modernus quidam,

PHILOSOPHICAE DISPUTATIONES MODERNISTAM INTER ET THOMISTAM

**De actus voluntarii dependentia erga actum rationis
— Quid sit iudicium liberum penitus investigatur.** (1)

M. — Nonnulli tamen theologi, inter quos et ipse Caietanus, ni fallar, connumerandus est, contendunt e contra intellectum voluntate determinari ad iudicandum unum p̄ae aliis eligendum esse, hincque non voluntatem ab intellectu, sed intellectum a voluntate determinatum esse.

T. — Id utique concedendum est voluntate determinari quadamtenus intellectum ex parte obiecti, sicut et ipsa voluntas passionibus movetur. Qualis enim unusquisque est, talis ei finis videtur, ut fert axioma, ita ut cuiquam id facilius appareat bonum quod conformius est desiderio et complacentiae voluntatis. Neque aliud sibi vult Caietanus, Thomistarum princeps.

Adde ceterum intellectum ad exercitium actus proprii voluntate moveri, ita ut intellectus cogitet quia voluntas vult cogitationem.

Id denique retinendum simul est, intellectum voluntate inclinari ad assensum in rebus fidei et opinione, ubi medium demonstrationis evidens in se non apparet: quod utrumque tamen non fit, nisi prius ratio iudicet melius esse assensum praebere: unde primatum denuo retinet intellectus.

Neque exhinc prorsus colligendum erit intellectum specificie determinari per voluntatem.

Distinguendum igitur sedulo inter iudicium determinatum, et acceptationem iudicii; illud quidem ab intellectu est de meritis obiecti iudicati; istud autem a voluntate quae potest illud reiicere.

Colligendum ergo est in iudicio libero supponi quidem indifferentiam et contingentiam amabilitatis in obiecto quae excludant naturalem determinationem, seu instinctum: sed libertas consilii in hoc consistit, quod iudicium sit in potestate iudicantis, prout procedens ex rationis discussione.

Hinc, ut obiter notem, egregie salvatur libertas Christi obedientis, eo quod iudicium de obedientiae bonitate non fuit ex necessitate et instinctu, sed ex consilio.

Et hoc summe considerandum est, siquidem aliud est iudicium de veritate et entitate rei, aliud de bonitate et convenientia eiusdem. Unum nempe ab alio in homine separari potest, qui, supposita excitatione ex parte obiecti, supposita legis cognitione et obiecti apprehensione, adhuc et quidem intrinsecè indifferens ad opposita iudicia de istius bonitate remanet, potestque sese determinare ex consilio et iudicio proprio, proindeque liber dicendus erit, etiamsi medium fuerit unicū ad finem, etiamsi ex addito lumine errare non possit in iudicando. Secus vero in brutis duo iudicia de rei veritate et de eius bonitate disiungi nequeunt.

(1) Cfr. num. sup.

ita ut statim atque ens apprehensum fuerit, iudicent bonum vel malum ex instinctu et naturali determinatione.

M. — Tu igitur, dilectissime, nomine Sancti Thomae, omniumque asseclarum eius, contendis non esse de ratione iudicij liberi quod sit prorsus obiective indeterminatum: imo voluntatem sese non determinare nisi praevio rationis iudicio determinato. In quo igitur consistere dieis iudicium liberum? Quamnam eiusdem exhibes definitionem?

T. — Ita prorsus! At vero variae dantur passim iudicij liberi diffinitiones, quas apud Angelicum Doctorem imprimis invenire est, atque, si libuerit, notatas habebis in *Tabula Aurea* ipsius Operum.

Imprimis iudicium liberum illud dicitur, quod ex obiecto formali et modo tendendi in ipsum est supra se ipsum reflexivum, atque sui ipsius iudex, de re ipsa iudicium ferens. Quae descriptio, etsi a posteriori sit, et per proprietatem aliquam iudicij liberi, maxime tamen valet ad explanandam rei diffinitae naturam.

Ubi enim homo poterit iudicare proprium iudicium utrum sit bonum an malum, an ineptum, patet voluntatem inde in eo procedentem, liberam fore, secus ac evenit in brutis animalibus.

Liberum iudicium rursus dicitur quod attingit propter quid sui, eo quod nempe non solum enuntiat quid sit amandum aut fugiendum, sed propter quid sit amandum aut fugiendum. Sic enim homo cognoscit duo: imprimis quidem finem et proportionem mediorum ad finem; deinde, finem ut finem, et media ut media: unde potest hoc et illud amare aut fugere ut medium, et seipsum inde movere.

Ex quibus patet etiam haec afferri solita diffinitio, nempe iudicium liberum esse quod est sui causa, ex eo quod iudicans, dum cognoscit causam universalem amandi, ex ea in rerum universitate et varietate sese movere potest ut determinate iudicet, utpote attingens propter quid amoris, quid sit amandum in particulari.

Haec iterum et ultimo liberi iudicij descriptio est, quod sit ex potentia intrinseca, indifferenti ad iudicandum obiectum apprehensum esse amandum vel non amandum, seu non sit determinatum ad amorem vel odium obiecti, nisi ex collatione et discussione rationis, secus ac in bruto animali, cuius iudicium non est ex collatione rationis. Homo enim liberi iudicij dicitur qui in conferendo finem cum mediis, atque media inter se, illud approbat quod melius appareat. Iudicium de fine seu bono amando nullimode liberum est, sed naturale, quia non est iudicium examinis et discussio- nis: ubi autem ratio se determinat medio examine, patet ipsam non determinari nisi a se ipsa ut medium aliquod approbet, neque obiectum esse nisi contingenter amabile.

Hic tamen distingue sedulo inter libertatem iudicij, seu libertatem intellectivam, et ipsiusmet libertatis causam.

Libertas quippe intellectiva, quae causa libertatis in voluntate est, vera indifferentia activa est, qua iudicans, tamquam sui dominus, potest in iudicando opposita, in sensu quidem diviso, approbare vel reprobare ex variis boni vel mali rationibus in obiecto apparentibus, quas separatim et successive attendere potest.

Causa autem huiusmodi libertatis ea est, quia intellectus perfecte et absolute rationem boni seu finis attingit, sub cuius universalitate comprehenduntur omnia bona omnesque boni varietates, imo et modi istius necessitatis et contingentiae.

Unde intellectus apprehendens et rationem boni, et habitudinem contingentem aut necessariam, quam bona vel ex natura propria, vel ex circumstantiis sortiuntur ad bonum absolutum seu in communi, hinc retinet indifferentiam dominativam, secundum exigentiam bonitatis quam obiecta sortiuntur, vel secundum se, vel ex circumstantiis, et potest inde sese dirigere per diversos conceptus infra latitudinem boni universalis, sub quo comprehenduntur contingenter bona particularia.

Ratio autem cur possit intellectus cum indifferentia dominante opposita iudicare, ea est, quia nempe attingit finem et bonum cognitione perfecta, et sic universaliter attingit habitudinem quam prae se ferunt media ad finem, vel ex se, vel ex circumstantiis mutabilibus et contingentibus.

M. — Sed iam tempus est, amice carissime, colloquio finem hodie imponendi, ita ut de omnibus praecclare a te dictis mihi liceat profundius et attenuatus meditari.

Vale igitur, atque gratias ex animo tibi oblatis dignare, usquedum ad argumenti discussionem mox redeamus.

I. I. B.

EX ITALIS URBIBUS

**De magno artium certamine
insigniter Augustae Taurinorum indicto**

III.

Quarto calendas Maias, Victorius Emmanuel III, Italorum rex, comitantibus regni administris, oratoribus popularibus et senatoribus, ceterisque potestatibus, certamini Taurinensi auspicaturus, relicta urbe, ad nos pervenit. Municipes nostri, maxima animi laetitia gestientes, urbisque magister, ei obvii fuerunt, omnia fausta adprecantes, gratias pro munere agentes unde magnus Taurinensibus honor, universaque Italiae decus atque ornamentum.

Adventante illa die, aëripse, qui suavioribus ventis tepescit, rem mirabiliter adiuvare atque fovere videbatur: motus, ut vulgo dicitur, in fine velocior, omnesque artifices alacriores propositum sibi iter peragebant. Quotquot enim antea tardiores adparebant ignavique, et

omnia aegerrime in crastinum differebant, promptiores in opera incumbunt, suumque insistunt negotium sapienter. Qui novus iste furor? Omnes exoptant primos cursu contingere metam, et in primis timent ne ad locum paulo serius perveniant.

Hie novas atque ingeniosas fert machinas, suo loco ponendas; ille, expositis stat scalis et ponte parato, ut novissima quaeque paret; omnes hue illuc cursitare, disponere vides, dum « fessos quatit acer anhelitus artus »!...

Haud procul magna stat statio, ad quam merces, ex omnibus dissitis regionibus profectae, mittuntur, ut inde ad locum optime dispositum adferantur. Qui labor! qui motus! Sed quoque qui mirabilis in omnibus ordo!

Est qui areolas variis iam floribus virescentes instaurat; est qui arbores nimis fluentes compescit, est denique qui iam elegantiae atque regii adparatus causa, meatus arena industrioze polit, dum alii novas semper merces curribus trahunt, arte disponunt, quo pulchrius invisentibus probentur.

Visne virum cognoscere, cui omnis harum rerum multitudine ac differentia est unice concredita?

THOMAS VILLA is est, ingenio pollens vario atque industria, qui vel ab initio rem universam manibus prope suis mentisque virtute dirigit ac moderatur. Advocatus in primis celeber reisque adiudicandis felix olim defensor, impiger acerrimusque in causis agendis fama percrebrescebat. Munera publica adeptus, ad summum rerum gubernaculum pervenit; primum inter oratores populares deligitur, mox supremus ipsorum praeses salutatur, denique administer regii sigilli custos adsumitur. Postremis vero temporibus, sui iam nimis securus, postquam per quadraginta et amplius annos clientium suorum suffragia meruisset, ex abrupto, ab ipsis negligetus, repentinae cuidam viro posthabitus, acerbissimum vulnus accepisset, nisi rex, honoris causa atque instaurationis, eum inter patres senatores adpellasset. Haec communis semper fuit mortalium sors, ut pro re nata apud summam consolationem adoriatur dolor, ne nos honoribus nimis inservientes rebusque secundis, plus aequo viribus nostris admittamus. Quam vere, quam apte cecinit Ovidius:

Mobilis Aesonidae vernaque incertior aura!

Hic vir devexa iam aetate, sed viribus adhuc virescens, — est enim octogenario maior — omnia videt, inspicit, atque summa arte disponit ut in re sua.

Hominem si videris, corpore parvum, vividisque oculis, hue illuc festinanter firmoque pede incedentem, in mentem probe revocaveris illud Vergilii: *Sed dura viro viridisque senectus.*

Iuvat nunc vel obiter ad aedes singularum nationum perlustrandas accedere. In primo aditu vides molem singulari arte confectam, cuius aedificia miro artificio

disposita te monent ingredi inter opera quae ab ipsis artium commerciorumque regina progrediuntur. Quidquid hominum ingenium protulit in re *eletrica*, uno quasi oculorum obtutu colligis. En agriculturarum machinas vi aquae evaporatae actas, vel petrolei. Ex altera parte stant rhedae, patribus nostris omnino ignotae, quas *automobiles* recentiori vocabulo advocamus, at summo perfectissimoque artificio conditae. In re *chimica* eademque scientia, quae ad doctrinas, quas *positivas* appellant, versatur, multae simul adparent societas, quae inventa sua audacter proponunt. Quid de gossypio dicam? Quid de eius diversimode ad artes accommodatione? Omnia iam audax Iapeti genus tentavit! Ars, quae imagines sole exprimit, ad apicem perfectionis hic pervenisse videtur. Triginta et amplius officinatores librarii convenient... Libros recentiores conspicis omniumque ditissimos... Haud dicere audeam quid scribere Ovidius potuit: *Exactus tenui pumice versus eat?*

Sunt et mirifcae geographicae tabulae, in quibus describuntur vel novissimae hominum perlustrations... De aliis alias.

SUBALPINUS.

CARDUELIS EVELINAE

Populeas inter frondes in valle Musonis

Primi auras hausi luminis aethereas.

Servabam nidum tenera lanugine tectus

Alarum exspectans tendere remigium,

Cum subito adducens nimbos aquilone procella

Ingruit et caelum nubibus eripuit.

Ventorum furiis silvae tremuere gementes,

Horruit avulsis messibus agricola.

Dum trepidi extensis mater me protegit alis,

Grandine ab ingenti desuper occubuit.

Corruit avulsus violento turbine ramus,

Nidusque et nati procubuere simul.

Me pene exanimem supra sustulit hora,

Et manibus fovit, pulchra Evelina suis,

Dulcique adiuvit milio, dum forte refectus

Evasi extremum funeris exitium.

Nunc cavea inclusus merito benefacta rependo,

Et dominam laetis vocibus exhilaro.

Auximi.

P. RECANATESI.

PETRUS ANGELINI

Dies XXII superioris mensis Aprilis atro notandum est lapillo tum universis linguae latinae cultoribus, tum praecipue Commentarii nostri sociis atque amicis. Illo enim die, quum nocte antecedenti haemorrhagia cerebrali correptus fuisse, Angelinius noster immatura morte decessit.

Natus erat Romae anno MDCCXLVII parentibus ex Umbria oriundis. Absolutis cum multa laude, in Seminario Pontificio Romano, studiis omnibus sive litterariis, sive philosophicis et theologicis, anno MDCCCLXXI sacerdotio est initiatus, moxque iussus est in eodem Seminario latinas docere litteras: quam provinciam toto tricennio retinuit, tanta quidem doctrinae fama, ut Leo XIII Pont. Max., quum altioris litteraturae cursus instituisset, in iis Angelinio cathedram commiserit eloquentiae latinae. Cuius peritissimi magistri idem Pontifex haud raro usus est opera, quam probatam sibi fuisse non semel professus est.

Nec minorem existimationem et gratiam sibi defunctus comparavit apud regnante nunc Pontificem, quem Deus in multos annos. sospitem servet. Nam virum litteratissimum Pius X sibi voluit esse ab epistolis, vel brevibus ad Principes, adiecta dignitate canonicali in Basilica Vaticana.

Ceterum in scriptore nostro exemplar agnoverunt genuinae latinitatis quotquot his temporibus veterem Latii sermonem penitus coluerunt; inter quos unum referam Gandinium, qui, lecto Angelini Lollio, summis laudibus hunc librum extulit, neque aurea aetate indignum esse pronuntiavit.

Et re quidem vera, diuturno studio assiduaque lectione veterum Latii auctorum, praesertim vero Ciceronis, cuius stilo maxime delectabatur, id Angelinius est consecutus, ut latini sermonis intimam indolem et naturam, quasi animo haustam et memoria, propriam sibi faceret: adeo ut quidquid cogitaret diceretque, id more antiquorum Quiritium

conciperet tradereque scriptis. Accuratissime etiam investigarat pressam cuiusque vocabuli vim et significationem, et synonymorum distinctas proprietates. Quibus omnibus fiebat, ut in recensendis libris satis esset severus, ut qui primo intuitu perciperet quidquid a castigatissima latinitate vel paulum deflexisset.

Commentarius *Vox Urbis*, inde a suis exordiis, habuit in Angelinio fautorem propensissimum et

alacrem scriptorem, cuius fama iam late celebrata celebritatem non parvam ipsi Commentario conciliavit. Primum ibi in lucem prodiit Angelini opus, cui titulus *Anthea*, sive *Eamus ad Ipsum*, quam narrationem scriptoris Poloni Sienkiewicz auctor noster egregie latine verterat. Progressu temporis, alia longiorque secuta est Angelinii elucubratio, *Lollius*, de qua iam superius mentio facta est.

Longum est breviora persequi scripta, quae, prorsa et versa facundia, Petrus noster in *Voce Urbis* evulgavit. Saepe etiam libros Commentario transmissos recensuit, ea qua pollebat auctoritate.

Alia ipse scripta edidit italice, soluto sermone et numeris adstricto; nec minorem, quam in latinis, prodidit in italicis, elegantiam.

Sane, postremis temporibus, intermittere debuit operam Commentario diu navatam, tum ob alia pensa absolvenda, tum ob affectam valetudinem. Nunquam tamen eius in *Vocem Urbis* amor elanguit. Quare grato animo eius in nos benevolentiam recordamur, eique, qui integerrimus semper vixit sacerdos, requiem sempiternam a Deo imploramus. Iucundum autem fore lectoribus arbitramur, si hoc loco carmen inserimus, iamdiu nobis traditum, nunquam tamen typis editum, quod ille Leoni XIII Pont. Max. dedicavit.

F. X. R.



LEO PP. XIII
AD SEPULCRUM B. PETRI

ELEGIA.

*Aspice, Petre, senem rursus tua busta petentem
Cui cingit niveum terna corona caput.
Has novus antistes cecidi prostratus ad aras,
Dum iuvenem sedes me Perusina manet.
Addebat animum praestanti in corpore vires,
Nulla dabat tristes anxia cura dies.
Nec poterant impune meum furesve lupive,
Exiguum quamvis, laedere dente gregem.
Auspiciis dextris lateque silentibus undis,
Tentabam, cymba sospite, tutus iter.
Nunc agimur tumidis scopulosa per aequora ventis
Et latet obscura condita nube dies.
Iamdudum sedeo puppi speculator in alta,
Nec fulgent votis sidera certa meis.
Praecipites agimur: **salva nos, Petre, ferimus!**
Sic didicit voces reddere lingua tuas.
Cymaque nostra tua est, olim tenuitque paventem,
Cum premeret Christi lumina fessa sopor.
Fluctibus in mediis superest spes una salutis,
Alma Fides, lymphis credere docta pedes.
Petre, Fides vigeat, Fideique alimenta ministret,
Qui te Christiadas pascere iussit amor.
Cernis, quam demens agit discordia fratres,
Undique quam tumeant tristia bella vides!
Ictibus heu quot Vaticani immobile saxum
Coniurata Fidem rumpere turba, petit!
Et longum nostro laetabitur ipsa dolore?
Romaque erit ludus sanguine tintcta tuo?
An tibi perpetuo vagina conditus ensis?
Aut gregis usque tui pectore cessit amor?
Excute divinum Christi de lumine somnum:
Imperet is ventis, imperet ipse mari.
Fallor? - an immenso versor sublimis olymbo?
Nec me mortalem ludit imago tui?
Te namque his oculis Erebi caelique potentem
Adspicio huc rapidos velle movere pedes.
Labere siderea princeps demissus ab arce
Et tua det fessis dextera rebus opem.
Adspice captivum! - Tu, cui licet, adspice Romam,
Da mihi perfringi vincula, Petre, rogo.*

PETRUS ANGELINI.

Stili lapidarii elementa ⁽¹⁾

Inscriptiones sunt quoddam historiae, seu monumenti genus aere, saxo, marmore posteris commissum de rebus maxime memorabilibus. Ipsa scribendi novitas, et difficultas suasit brevitatem, rerum autem magnitudo simplicitatem, et gravitatem. Recte igitur Boileavious dixit hoc scribendi genus esse debere in primis breve, simplex, grave.

Eadem pestis, quae facultatis Oratoriae, etiam inscriptionum formam vitiavit. Sententiae, argutiae, ineptiae hic quoque invectae sunt, quibus sublata simplicitas, violata gravitas, inducta prolixitudo. Res in pristinum restituatur.

Brevitas inscriptionum poseit, nihil ut superfluat, nec res fere possit paucioribus verbis exprimi: *Simplicitas*, nulla ut sit sententia a re disiuncta, figura fere nulla: *Gravitas* vero ut modus rem exprimendi relinquat aliquid legenti excogitandum: ut quum victor Germanicus congeriem hostilium armorum struxit cum titulo seu inscriptione, quae legitur apud Tacitum lib. II. Annal. cap. XXII: *Debellatis Inter Rhenum Albimque Nationibus Exercitum Tiberii Caesaris Ea Monimenta Marti et Iovi Et Augusto Sacravisse*. Forte Germanicus seripsit: *Exercitus..... Sacravit*. Pulera est illa apud Virg. lib. III Aeneidos cum templo Apollinis afigeretur Abantis Graeci clypeus:

Aeneas Haec De Danais Victoribus Arma.

Apud antiquarios reperies alias omnis generis; ex: gr: *Exercitus Victor Hostibus Fusis*. Id quod non intelligitur nisi ex linguae, loci monumentique ratione. Item *Bellum Caesaris Et Patriae Ex Magna Parte Confectum*, Sex. Et Cn. Magni Pompeii Filii In Agro Batestanorum Profligatis. Batestani iidem, credo, sunt ac Bastiani apud Cluverium in Regno Granatae in Hispania. Lucio Portio Provincia Optime Administrata Batestani Populi F. C. idest Fieri Seu Faciundum Curarunt, subaudi monumentum: nihil enim opus est verbis exprimere id, quod oculis exhibetur. *Imp. Caes. Divi F. F. Aug. Pont. Max. Cos. XII Trib. Pot. X. Imp. VIII. Orbe Mari et Terra Pacato Templo Iani Claudio Et Rep. Pop. Rom. Optim. Legib. Sanctiss. Instiit. Reform. Viam Superiorum Coss. Tempore Incho. Et Multis Locis Intermisssam Pro Dignitate Imperii Latiorem Longioreisque Gades Usque Perduxit*. Multa hic breviata, quod saepe hoc in genere accedit; idcirco explico singula. Imperator Caesar Divi Filius (Iulius enim Caesar in Diis erat positus) Pontifex Maximus, Consul duodecimo, Tri-bunitia potestate decimo, Imperator octavo, Orbe mari

(1) Inter chartas desideratissimi patris mei ad Latinas litteras, quas enixe colebat, spectantes, opusculum hoc *De latinis inscriptionibus* inveni, quod incerti auctoris asserebatur; ille autem Iosepho Bianchinio tribuebat, inuenit saec. XIX humaniorum litterarum in Collegio Romano doctori, et in tironum usum accomodatum. Quisquis auctor fuerit, neque inutile, neque ingratum putavi, scriptum idem per *Vocem Urbis vulgare*, cum adscriptionibus ab ipso patre meo adiectis. — Ios. FORNARI.

et terra pacato, Templo Iani clauso, et Republica Populi Romani optimis legibus, sanctissimis institutis reformato, viam superiorum Consulum tempore inchoata, et multis locis intermissam, pro dignitate etc.

Sunt aliae magis simplices, ut ea quam Valerio Publicolae tribuit Gronovius: *P. Valerius Volusii F. Igniferum Campum Diti Patri Aeternaeque Proserpinae Consecrarei Ludosque Eisdem Dieis Populi Romani Salutis Ergo Fecei.* Antiquitus etiam *ei pro i dicebant*; hic illa pro *Consecravi, Diis, Feci.* Adde illam de Quinto Fabio Florentiae inventam: *Hannibalem Compluribus Victoris Ferocem Subsequendo Coercuit.* Gravius Ennius: *Unus Qui Nobis Cunctando Restituit Rem.*

Similia inscribuntur statuis hominum, deorum, aris, sacellis, templis, sepulcris; e. g. *Imp. Titus Caes, Vesp... PP. Generis Humani Amor Et Desiderium.* Vesp. est Vespasianus, PP. Pater Patriae. - Simulacro Cybeles: *Magna Matri Lucilla Aug. i. e. Augusta.* - Simulacris Herculis et Mercurii: *Voto Suscepto Corn. Demas Posuit:* Corn. est Cornelius. In sepulcris est frequens *Diis Manibus*, vel *Diis Avernus Manibus*. Etiam, *Plutoni Summano Aliisque Diis.*

Suus est huic generi scribendi modus, etsi antiquitus nec idem semper, nec rectus fuerit. Voces enim aliqui videntur confusae inter se, perperam truncatae, divisae, literae inaequales: res et sententiae in versibus male distributae. Nunc hic fere servatur mos, quem nobis reliquit politior antiquitas. I. Ut in versibus habeatur ratio sententiae, nec disiungantur, quae coniungi amant. II. Omnes omnino literae sint maiuscule, ac diphthongi solutae. III. Ut post singulas voces seu breviatas, seu integras ponatur punctum, ut melius distinguantur et emineant: nullum sit punctum in fine versuum, ubi nulla utilitas, nisi vox sit truncata. Ecce tibi exemplum:

I . O . M .
ET . IVNONI . REGINAE
PRO . SALVTE
M . AVRELII . ANTONINI
PII . FEL . AVG .
IVLIVS . PVDENS . SEVERIANVS
ARAM . CVM . BASI
POSVIT

Tres literae I. O. M. significant *Iovi Optimo Maximo*: id quod in inscriptionibus maxime occurrit: Fel. Aug. *Felicitas Augusti.*

Inscriptiones nummariae sunt etiam frequentissimae, lapidariis persimiles, nisi quod sunt breviores, eodem modo cuae, si puncta excipias, quae, hic apponi non solent, nisi vocibus breviatis. Plura vide apud Morellum (*De Stilo inscriptionum lib. 2, partit. 3, cap. 9.*) Apud Vaillantium ecce nummus qui ex una parte praefert caput Veneris vetricis laureatum, ex altera equitem dextera gerentem trophyum cum inscriptione: *M. Lepidus An. XV. Pr. H. O. C. S.* idest: Marcus Lepidus anno aetatis quinto decimo praetextatus ho-

stem occidit, civem servavit. De quo vide Valerium Maximum lib. III. cap. I. En aliis nummus, ubi caput Antonii, pone cidaris, quod erat capitinis tegmen Armenis, et Persis regibus usitatum cum inscriptione: *Antonio Armenia Devicta;* in aversa nummi parte est caput Cleopatrae, cui adiecta navis prora, item cum inscriptione: *Cleopatrae Regiae Regum Filiorum Regum.* Hoc enim usitatum erat apud plures populos, ut qui reges alios sibi subditos reges haberent, ii *Regum Reges* appellarentur. Deinde vero ii etiam reges hoc titulo decorati sunt, qui nullis aliis regibus iura darent: sic Cleopatra *Regina Regum nuncupata est*: in hoc vero nummo non solum velut prima inter reges, sed inter eos etiam qui regum filii essent. *Reginae Regum Filiorum Regum* per summam adulationem nuncupata est. Prora indicat maris potentiam. Item aliis nummus hinc habens connexa Honoris et Virtutis capita cum inscript: *M. Messala M. F. III;* hinc pontem cum arcubus, duasque supra pontem portas, et in eius lorica scriptum, *Ensubria*: aquae innatata cymba; in extremo orbe inscriptus est *Cossus Cn. F. Lentulus.* Nempe Messala Marci filius, et Cossus Cnei filius ob virtutem aucti honore consulatus; pons autem Abduae impositus iussu Augusti, quo facilior esset aditus Mediolanum, caput Ensubriae seu Insubriae.

Plurima in hoc genere dabit idem Vaillantius, Graevius, Gronovius, Muratorius etc. Pauca addo ex t. 1. *Antiq.* Montfaucon: ibi Iupiter adhuc puer caprae Amaltheae insidens, *Iovi Crescenti*; item parva Traiani effigies, duplo maior Iovis, laeva manu tenentis hastam, dextra fulmen et pallium quo Traianum protegit, cum inscript. *Conservatori Patris Patriae.* Sunt nummi plurimi, qui ex una parte habent Augusti caput, vel Augustae, vel utriusque, ex altera vero inscriptiones: *Spes Publica.* — *Felicitas Temporum.* — *Saeculi Felicitas.* — *Laetitia Temporum.* — *Providentia Deorum.* — *Securitas P. R.* (nempe Populi Romani), — *Tranquillitas Aug.* (id est Augusti). — *Faecunditas Aug.* (idest Augustae). — *Sapientiae Principis.* — *Clementiae.* — *Moderationi.* etc.

Inscriptionibus adiectae fere sunt figurae convenientes, ut Ubertati cornucopiae, aristae; Fœcunditati mater cum filiis; Felicitati navis, signum commercii; Laetitiae ludi, quadrigae, certamina, etc. Imo saepe sunt figurae sine inscriptione, res enim ipsa loquitur.

Non negabo esse etiam in nummis inscriptiones longiores, quas vix ausim imitari, et cum in nummis, tum in lapidibus superadditas aliquas sententias, ut in illa Simonidis de Lacedaemoniis, qui, duce Leonida, in Thermopylis occiderunt:

Dic. Hospes. Spartae. Nos. Te. Hic. Vidisse. Iacentes Dum. Sanctis. Patriae. Legibus. Obsequimur

Et in lapide pervetusto: *Palladi Victrici Sacr.* (sacrarium). *Heic Host.* (hostium) *Reliquias Profligavit Cato* *Ubi Est Sacellum Struc.* (structum) *Et AEream Palladis*

Effigiem Reliquit. Pareant Ergo Et Noscant Omn.
S. P. Q. R. (omnes, Senatus Populique Romani) Imperium Et Deor. Numine et Militum Fortit. (Fortitudine)
Et Tueri Et Regi.

Item in sepulcro *L. Proculo L. F. XVI. An. Nato,*
Qui Nihil Cum Adolescen. (adolescentibus) *Commune Habuit, Senes Sapientia Anteivit Sex. Tertullia Mat.* (mater) *Ad Lacrymas Relicta Hoc Monumentum Erexit.*

His quae ex Rheticis institutionibus Io. Baptistae Nogherae desumpsimus, (1) nonnulla addemus ex iis excerpta, quae tradit Io. Stephanus Morcellius vir doctissimus, atque in hoc genere omnibus anteferendus in eximio opere *De Stilo inscriptionum latinarum.*

DE VARIIS INSCRIPTIONIBUS

Quoniam non omnes latinae inscriptiones unius eiusdemque generis sunt, ideo quae varia sint genera, breviter est innuendum. Nec vero consilium probari potest eorum, qui plures, quam viginti inscriptionum classes partiti sunt, assignatis nominum, personarum, munerum divisionibus. Itaque si sex constituantur inscriptionum genera nulla erit omnino, quae vaga, ac sede exclusa videatur. Nam genus primum, quod *Sacrarum appellamus et dedicationes, et donaria, et vota, et monumenta comprehendet; alterum quod est Honoriarum, omnes continebit, quae honorem cuiquam habitum demonstrent, quicumque tandem ille sit.*

In tertio, quod *Epitaphiis* tribuetur quascumque personas ipsas etiam familias et sodalitates quascumque numerabit. In quarto, quod *Historicarum* inscriptionum nuncupabitur, fastis erit locus, et omnibus fere inscriptionibus consularibus, omnibus operum aut locorum publicorum privatorumque titulis, legatis quoque, donationibus, venditionibus, et quae sunt huiusmodi. Ad quintum genus spectabunt *Elogia, sive magistratum, sive privatorum hominum, sive etiam foeminarum.* In sexto denique, quod constitutiones complectitur, ideoque *Iuridicarum, et Legalium* dici poterit, leges habebis, et edicta, et S. C. et decreta municipiorum, tum foedera quoque, et hospitia, rescripta etiam et diplomata, mensurarum ac ponderum inscriptiones, collegiorum sive sodalitatum decreta, et acta.

In quolibet autem genere vera est dictio, quae saepe *simplex*, non raro est *ornata*, aliquando etiam *singularis.* Quod discriben in hoc fere positum, quod quaedam venuste, sane, et concinne rem propositam exiguo verborum numero significant magis, quam explicit: alias contra lux aliqua, ornatusque distinguat, et monumentorum adiecta causa adscriptusque annus, vel historiae particula illustriores faciat: nonnullae vero, sive breviores sive longiores modo tempore, aut persona verbi, modo nexu vocabulorum, aut casibus, aliquando et sermone ipso a reliquarum structura discrepent.

(1) Incertum est an Noghera earum institutionum fuerit auctor: multi contraria tuerunt sententiam. Illud pro certo habeas eas a. MDCCLXVIII Vindobonae publicatas nullius auctoris nomen praeseferre.

His generibus addit Morecellius quatuor appendices inscriptionum, quas vocat *mixti generis*, quae scilicet ad sena illa genera revocantur, sed peculiare aliquid videntur habere. Sant vero: 1. *Temporiae*, quae scilicet ad breve tempus propositae nullam posteritatis rationem habent. Ex his autem aliae sunt *sacrae*, aliae *historicae*, aliae *funebres.* 2. *Nummariae*, quae etiam cum saeris, aut cum honorariis, aut cum historicis plane concordant. Verum in aere, argento, auro incisae sedem cum ipsis nummis, neque pubblicam, neque stabilem nactae sunt. 3. *Tituli rerum privatarum*, quos scilicet addebat veteres gemmis annularibus, poculis, pateris, tesseris, lucernis, vasis fietilibus, armis, et instrumentis bellicis, lateribus deum, ac tegulis: hi etiam nec publica auctoritate incidebantur, nec in publico prostare solebant. 4. *Inscriptiones Poeticae* in quolibet fere genere.

Nunc aliqua ex omni genere exempla eodem omnino, quo Morcellius, ordine afferre iuvabit.

(*Ad proximum numerum*)

PAROEMIAE SIVE ADAGIA

Fum ausculta, cui quattuor sunt aures.

Huius adagii, e Graeco fonte manantis, quodam interpretamentum adfert Zenodotus; Oraculo quondam fuisse responsum Entimo Cretensi et Antiphemo Rhodiensi, ut eum observarent, cui quattuor essent aures. Is autem erat praedo quidam Phoenix, quem cavendum esse monebat oraculum. Porro, quod quattuor aures habere dictus est, non satis liquet, vere ne habuerit, an per allegoriam sit accipiendo, quod quattuor locis exploratores haberet dispositos. Verum illi, quum dei responsum tamquam ridiculum negligerent, in praedonem inciderunt, atque ab eo sunt extinti. Itaque ex hoc eventu vulgo natam esse paroemiam existimant.

Sed magis certe arridet, quod idem et Aristophane grammatico refert. Lacedaemonios Apollinis simulacrum ita fingere solere, ut quattuor haberet aures, et manus totidem; vel quod hac figura visus sit illis apud Amyclas pugnantibus; vel significantes viro prudenti res quamplurimas tum audiendas esse, tum usu vitae periclitandas. Porro creditum est antiquius, nulla oracula fuisse certiora, quam Apollinis. Atque ita monet proverbium, audiendos esse illos, qui diuturno complurium rerum usu prae ceteris sapiunt, ita ut fere faciunt senes. Unde et apud Homerum laudatur Nestoris oratio, tamquam omnium auditu dignissima; et in *Odysseae* lib. II Aegyptium heroa senem primo loco loquentem facit «qui iam incurvus erat senio, sed plurima norat». Eodem spectavit Euripides in *Phoenissae*, ad quem locum adlussit Lucianus in *Hercule Gallico*. Verba

sunt Iocastae iam anus ad Eteoclem adolescentem, quae nos sic vertimus:

*O gnate Eteocles, cuncta nequaquam mala
Adsunt senectae; nam per experientiam
Usumque rerum, dicere haud nihil rudi
Potest iuventa melius ac prudentius.*

Idem nunc vulgus nostratum effert sub sordida quidem, sed tamen apta metaphora, quum aiunt prospectandum vetulo latrante cane: hoc est, ne quaquam negligendum quoties senes periculum cavendum admonent. Canes enim vetuli non latrant temere quemadmodum iuvenculi.

EX SACRIS CONGREGATIONIBUS ROMANIS

SENTENTIAE NOVISSIMAE SELECTAE

Ex Congregatione Consistoriali.

De decreto «Maxima cura».

Dubium 1. — An vigeat in Anglia novissimum de amotione administrativa ab officio et beneficio curato decretum «Maxima cura»? — *Resp.* Affirmative. (Ex decr. d. xxviii mens. Febr. MCMX).

2. — An decretum «Maxima cura» vigeat pro dioecesis Statuum Foederatorum Americae Septentrionalis? — *Resp.* Affirmative. (Ex decr. d. xiii mens. Martii MCMX).

De motu proprio «Sacerorum Antistitum».

Quum in motu proprio «Sacerorum Antistitum» statutum sit ut fidei professio cum iureiurando contra Modernistarum errores praestetur a parochis aliisque beneficiatis ante ineundam beneficij possessionem, quae situm est utrum adhuc maneat facultas facta a S. Concilio Tridentino, qua provisi de beneficiis quibuscumque, fidei professionem emittere possunt intra duos menses a die adeptae possessionis, et responsum «Negative», proindeque in posterum fidei professionem emittendam esse ante possessionem beneficij. (Ex decr. d. i mens. Martii MCMXI).

Ex Congregatione S. Officii.

De matrimonii eorum, qui a parentibus acatholicis vel infidelibus nati, sed in Ecclesia Catholica baptizati, ab infantili aetate in haeresi vel infidelitate, aut sine ulla religione adoleverunt.

Quum decreti *Ne temere* per S. C. Concilii die ii mens. Augusti MCMVII editi articulo XI § 1 expresse edictum sit novis circa formam sponsalium et matrimonii statutis legibus, «teneri omnes in Catholica Ecclesia baptizatos et ad eam ex haeresi aut schismate conversos (licet hi sive illi ab eadem postea defecerint) quoties inter se sponsalia vel matrimonium ineant», quae situm est, «quid dicendum de matrimonii eorum qui a genitoribus acatholicis vel infidelibus nati, sed in

Ecclesia Catholica baptizati, postea, ab infantili aetate, in haeresi seu infidelitate, vel sine ulla religione adoleverunt, quoties cum parte acatholicis vel infidelis contraxerint», et responsum: «recurrendum esse in singulis casibus». (Ex decr. d. xxxi mens. Martii MCMXI).

Ex eiusdem Congregationis sectione de Indulgentiis.

De utili temporis spatio ad visitationem Ecclesiae vel Oratorii instituendam, pro indulgentiis lucrandis.

Ut dubiis, difficultatibus et controversiis occurratur, quae saepe exorta sunt, ac forsitan et deinceps ori poterunt circa temporis determinationem, quo ecclesiae vel oratorii visitatio institui valeat, quum haec requiritur ad Indulgencias lucrandas alicui diei adnexas, benigne conceditur ut utile id tempus habeatur et sit, non modo a media ad medium noctem constituti diei, verum etiam a meridie diei praecedentis. Hoc autem declaratur fore valitum tam pro Indulgentiis plenariis, quam pro partialibus semel in die aut toties quoties adquirendis, usque ad hunc diem concessis vel in posterum concedendis, quacumque demum sub loquitione tempus sive dies designetur. Sartis tectis manentibus de cetero clausulis et conditionibus, in singulis quibuslibet concessionibus appositis. Contrariis quibuscumque, etiam specialissima et singulari mentione dignis, non obstantibus. (Ex decr. d. xxvi mens. Ianuarii MCMXI).

Ex Congregatione Rituum.

Declarationes circa editionem Vaticanam eiusque reproductionem quoad libros liturgicos Gregorianos.

I. — Editio Vaticana de libris liturgicis Gregorianis, prout evulgata fuit Auctoritate Apostolica, cum suis notulis traditionalibus et cum regulis Graduali Romano praefixis, satis superque continet quae ad rectam cantus liturgici executionem conferunt.

II. — Reproductiones eiusdem editionis typicae, quae praefrerunt signa superinducta, rhythmica dicta, per abusum vocantur editiones ritmiae, atque uti tales haud fuerunt adprobatae, sed tantum precario toleratae; haec vero tolerantia, attentis rerum adiunctis, amplius non admittitur, nisi pro solis editionibus iam factis Gradualis et Officii Defunctionum, ideoque nullatenus extenditur sive ad editiones cum notulis Gregorianis, sive ad transumpta cum eisdem notulis Antiphonarii et aliorum quorumcumque librorum cantum liturgicum continentium, quae ad normam Motus proprii d. xxiv mens. Aprilis MCMIV et Decretorum S. Rituum Congregationis, tum pro universali Ecclesia, tum pro singulis Dioecesis vel Congregationibus, adhuc instauranda sunt et evulganda.

III. — Rmis. Ordinariis locorum ac Superioribus Ordinum seu Congregationum interim licet editiones precario a S. Sede toleratas permittere intra limites propriae iurisdictionis, quin tamen ipsi eas in locis

sibi subiectis praecipere, atque usum editionis adprobatae inhibere valeant.

(Ex. deer. d. xxv mens. Ianuarii MCMXI).

Dubia de elegendis Propriis cantum liturgicum continentibus.

I. — Utrum Propria, quae exhibent cantum gregorianum indigeant approbatione Sacrae Rituum Congregationis pro prima editione? — *Resp.* Affirmative; et singula cuiuslibet Proprii seu novi Officii aut Missae folia, apud quemlibet typographum composita, in triplici exemplari vel singillatim vel simul sumpta ad Sacram Rituum Congregationem pro revisione et definitiva approbatione transmittantur; praehabita quidem licentia illius Ordinarii loci vel Moderatoris supremi Ordinis sive instituti, in cuius usum paratur editio, quae veluti typica pro futuris editionibus inserviet.

II. — Quatenus affirmative ad I, utrum etiam pro sequentibus editionibus?

Resp. — Negative; dummodo subsequentes editiones cum prima typica editione sive Proprii sive novi Officii aut Missae fideliter concordent; prouti decretum S. Rituum Congregationis sub die 11 Augusti 1905, quod instructiones circa editionem et approbationem librorum cantum liturgicum gregorianum continentium exhibent, omnino declarat et iubet.

III. Quatenus negative ad II, utrum praeter licentiam Ordinarii loci, in quo praedicta Propria evulgantur, requiratur insuper licentia Antistitis respectivi Ordinis vel Dioecesis?

Resp. Requiritur pro subsequentibus editionibus tam approbatio Ordinarii Dioecesis vel Moderatoris Supremi Ordinis seu Congregationis, in cuius usum ipsae editiones parantur, quam licentia Ordinarii loci, in quo huiusmodi editiones conficiuntur et evulgantur,

IV. — Qua approbatione indigeant illa Propria ad Graduale vel Antiphonale Romanum Vaticanae editionis, quae exhibent cantum gregorianum notis modernis transcriptum?

Resp. Requiritur et sufficit approbatio Ordinarii Dioecesis vel Moderatoris Ordinis sive Instituti, atque licentia Ordinarii illius loci, ubi tales editiones parantur sive evulgantur, prouti in responsione ad dubium III superius indicatur. Declaravit insuper S. Rit. Congregatio tum decretum approbationis a se dandum primae editioni alicuius Proprii sive novi Officii aut Missae cantum gregorianum liturgicum exhibenti, tum approbationem Ordinarii dioecesis aut Moderatoris Supremi Ordinis sive Instituti, atque licentiam Ordinarii loci, ut supra, in scriptis praevie ab editoribus expetendam et obtinendam, omnino debere integre et fideliter in principio vel in fine Proprii vel Officii novi aut Missae publicari. (Ex deer. d. xxiv mens. Februarii MCMXI).

Circa initia epistolarum B. Pauli Apostoli, nonam lectionem in festo S. Ioannis ante Portam Latinam, hymnos in propria hora impeditos, versiculum « Ora pro

nobis » in festo S. Elisabeth, et conclusionem quarumdam orationum.

I. — Initium cuiusvis epistolae b. Pauli Apostoli alicui feriae assignatum, in qua anticipatur Officium alicuius Dominicæ post Epiphaniam; sicuti et initia antecedentibus feriis assignata, quatenus sint in sua ipsorum die utcumque impedita, debent omnino in antecedenti feria vel etiam Dominicæ recitari, etiamsi aliquando tria simul initia sic legi contingat, et omitti quoque oporteat lectiones alicui festo semiduplici, vel dupli per annum tam minori quam maiori, proprias vel de respectivo Communi per se tributas, prouti casus requirat. Lectiones autem eiusmodi propriae vel de Communi per se assignatae illi ex occurrentibus festis vel officiis, in quantum necessitas exigat, adimantur, quod habet lectiones de Communi assignatas, pree altero minus etiam nobili, sed lectiones primi Nocturni proprias habente; vel quod alteri in concurrentia debet postponi; vel in cuius die initium aliquod proprie cadit; vel denique quod posteriore tempore occurret: et si ne hoc quidem pacto omnia recitari et reponi eadem initia valeant, illa omittantur eo anno initia, quae alioquin forent posterius perlegenda, si nempe pro omnibus initiosis dies a festis et officiis duplicitibus primae vel secundae classis libera quomodolibet haberetur. Initia denique, quae occurruunt post eam feriam, in qua integrum alicuius Dominicæ post Epiphaniam anticipatur Officium, debent illo anno prorsus omitti, iuxta rubricas generales breviarii romani sub tit. xxvi *De lectionibus*, num. 8, quia per Officium integre de aliqua anticipata Dominicæ persolutum, iam nova incepit hebdomada, infra quam nequeunt ulla praecedentis hebdomadae initia reponi.

II. — Initium cuiusvis epistolae b. Pauli Apostoli illi alioquin assignatum sabbato, in quo per integrum Officium, vel per Commemorationem aliqua ex Dominicis post Epiphaniam simul cum Septuagesimæ Dominicæ veniens anticipatur, in una ex antecedentibus feriis iugiter perlegatur, prouti sub num. I superius edicitur, non obstante decreto num. 2503 *Urbis*, 28 Martii 1775 ad I; atque in eodem sabbato, si anticipata Dominicæ sola Commemorationem habeat, lectiones semper ipsius Dominicæ recitentur. Si tamen festum vel Officium duplex primae aut secundae classis celebratur, initium Dominicæ anticipatae eo quidem anno prorsus omittitur, etsi in feriis sabbatum ipsum praecedentibus dies liberi habeantur, quum nequeant omnino impedita initia intra praecedentem hebdomadam anticipari.

III. — In festo S. Ioannis ante Portam Latinam tamquam proprie historia censeri debet lectio nona Matutini, quae de gloriose huius S. Apostoli martyrio mentionem facit; ideoque, iuxta Decretum num. 2735 *Ordinis Minorum Capuccinorum*, 8 Augusti 1835, ad II, eadem lectio nona, quae praepeditur homilia feriae vel Dominicæ, vel nona lectione festi utecumque simplicis, adiungi debet lectioni octavae ipsius festi.

IV. — Hymni omnes proprii, qui ad integratatem historiae necessario non pertinent, prouti est hymnus *Te gestientem gaudiis* ad II Vespertas in festo SS. Rosarii B. M. V. appositum tamquam summarium et repetitio ceterorum, si recitari nequeant ad eas horas pro quibus designantur, ex praecerto recitentur ad alias eiusdem diei horas, in quibus alius hymnus vel de Communi utecumque desumptus vel iam in eodem recitatus Officio secus debeat adhiberi; imo, etiamsi hymnus aliquis proprius in alia diei hora minime recitatus possit, sine ulla hymnorum coniunctione, ad aliquam horam antecedentem vel subsequentem amandari. Si autem eiusmodi hymni proprii, qui ad integratatem historiae necessaria non referuntur, nequeant servari nisi cum aliis coniungantur, tunc de congruo in privata tantum Officii recitatione cum aliis hymnis quibuslibet eiusdem metri proximioribus uniri valent, prouti rubricae generales breviarii Romani, tit. xxvi *De lectionibus*, num. 3, 4 et 6, de lectionibus in privata item Officii recitatione fieri concedunt; quoniam in publica Officii celebratione non arbitrarium onus, sed necessarium tantummodo est urgendum atque in annuis kalendariis adnotandum.

V. — In festo S. Elisabeth, reginae Portugalliae, viduae, sicuti et in aliis omnibus Officiis etiam votivis sub ritu semiduplici celebrandis, quibus ad Vespertas vel Laudes versus *Ora pro nobis* fuerit assignatus, idem versus pro ipso recurrenti festo vel Officio iugiter asservetur, iuxta normam in similibus casibus generaliter observatam; atque in posterum, hoc in easu, pro Suffragio b. Mariae Virginis adhibeatur tam ad Vespertas quam ad Laudes, versus *Lignare me*, non obstante decreto num. 1918 *Ordinis Discalceatorum SS. Trinitatis*, 18 Decembris 1649 ad I.

VI. — In Officio b. Ioannis Mariae Vianney Confessoris, omnibus Galliarum Ecclesiis concessso, legendum est in VI lectione *secretiorem lucum*, iuxta textum approbatum; non autem *secretiorem locum*, prouti aliquae exhibent editiones.

VII. — Postcommunio Missae Lanceae et Clavorum D. N. I. C. pro aliquibus locis concessae, neenon oratio Officii votivi et Missae votivae de Passione D. N. I. C. concludendae sunt: *Qui vivis et regnas cum eodem Deo Patre.*

(Ex deer. *Atrebaten.* d. xxiii mens. Martii MCMXI).

DIARIUM VATICANUM

(Mense Aprili MCMXI).

Coram SSmo. admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Antistites aliosque viros, qui sui quisque muneric gratia Pontificem de more adiverunt, peculiari nota digni sunt iuxta admissionis diem: Roeder de Diersburg, dynasta; Von Gebssattel, militum praefectus; Bentivoglio de Aragonia, marchio; Bruno Chaves, Brasiliae administer cum omni potestate apud Apostolicam

Sedem; Paulus Petrus XIII Terzian, Ciliciae Armeniorum patriarcha nuper cooptatus; Philippus Lancellotti, princeps Urbanus; Melania de Metternich Winneburg, princeps foemina; Szapáry, Comes; Caecilia de Campillo, vidua administris Argentinae civitatis apud Apostolicam Sedem; Consilium supremum Romanae Academiae Novorum Lyncaeorum; Robertus Zileri Dal Verme, Comes; Palfli de Erdod, Comes, negotiorum gestor Austro-Hungarici imperii apud Apostolicam Sedem, nuper delegatus; De Benomar, Comitissa; Seidler, dynasta; Ioannes Schomburg-Hartenstein, princeps, novus Austrorum Hungarorumque legatus extraordinarius cum omni potestate apud Apostolicam Sedem.

Pontificiae electiones.

Provisio Ecclesiarum. — SS. D. N. Pius PP. X decreto S. Congregationis Consistorialis promovit: r. p. d. Antonium Pimenta, episcopum itularem Pentacomiensem in episcopum cath. eccl. Montesclarensis in Brasilia; r. p. Ioannem Baptistam Neudecker in episcopum tit. eccl. Helropolitanae cum deputatione in Auxiliarem r. p. d. Francisci Bettinger, archiepiscopi Monacensis et Frisingensis; r. p. d. Cyrillum de Paula Freitas, episcopum titularem Eucarpensem, in episcopum cath. eccl. Corumbensis in Brasilia; r. p. d. Carolum Mauritium Graham, episcopum Plymутensem, in episcopum tit. eccl. Tiberiensis; r. d. Sebastianum Leone de Silveira Cintra, in episcopum tit. eccl. Ortho-sensis, cum deputatione in Auxiliarem Emi. Dni. Cardinalis Arcoverde Albuquerque Cavalcanti, archiepiscopi S. Sebastiani Fluminis Ianuarii; r. p. d. Iosephum Rovetta, in episcopum cath. eccl. Cassanensis; r. d. Angelum Portelli O. P., in episcopum tit. eccl. Selvintinae, cum deputatione in Auxiliarem r. p. d. Petri Pace, episcopi Melitensis et archiepiscopi Rhodiensis.

Nominationes episcoporum. — Brevi Apostolico nominati sunt: r. p. Franciscus Belleville, e Seminario Parisiensi pro Missionibus Exteris, episcopus tit. Amisensis et Vicarius Apostolicus Tonkini M. ridionalis; r. p. Aloisius Elisaeus Fatiguet, e Congregatione Missionis, episcopus tit. Aspendiū et Vicarius Apostolicus de Kiamsi Septentri-niali.

Nominatio Praefecti Apostolici. — Decreto S. C. de Propaganda Fide r. p. Raymundus Renatus Lerouge, e Socie-tate Spiritus Sancti, Praefectus Apostolicus Guineae Galli-cae in Africa nominatus est.

— Scipio Tee-hi, antistes Urbanus, in concilium Commissionis historicae-liturgicae, et Elias Coccia ex Ord. Carmelitarum excalceatorum in concilium Commissionis litur-gicae adlecti sunt.

— R. p. d. Dominicus Taccone-Gallucci, archiepiscopus tit. Constantieni, inter consultores S. C. Studiorum refertur.

Vita functi clariiores.

Die xvii mens. Aprilis MCMXI, Romae, Purpuratus Pater Benjaminus Cavicchioni, S. C. Studiorum Praefectus, vir iuri doctrina insignis. Natus erat in oppido Veiano, Viterbiensis dioecesis, d. xxvii Decembris MDCCXXXVI; in Sacrum Se-natum cooptatus die xxii mens. Iunii MCMIII, tit. S. Mariae in Aracoeli.

ANNALES

Mauritanum civile bellum.

Quod in superiore numero sub timoris specie enunciabamus, re evenit: civile in Mauritania bellum iterum pugnatur; iamque de tollendo Mulai Afid imperio, in eiusque loco Mulai Ismaele, eius natu minore, ponendo agitur. Qui quidem nulla voluntate sua praeditus, profecto nihil aliud quam instrumentum in Berberorum manibus erit, ideoque exteris gentibus, per vim etiam, hostilis.

Galliae, prae ceteris nationibus, in castra descendendum: ipsi namque publicam quietem servandi commissum. Neque muneri imparem natio illa se praebuit, tribunumque militum Brèmond cum suis copiis ad Fez urbem obsidione cinctam misit. Qui tamen, dum scribimus, liberandi oppidi finem minime est consequutus; videns enim hostium numerum longe superiorem, ut inutilem sanguinis effusionem excluderet, negotio supersedit, auxiliaque a gubernio suo petivit, quae revera duodecim millium hominum citatim ad eum erunt adventura. Quamquam tum in Germania tum in ipsa Hispania huiusmodi expeditio nonnullis de nimia potentia a Gallis acquirenda animadversionibus fuit obnoxia, non tamen plerisque videtur Gallia e limitibus concordi aliarum nationum consilio in Mauritania sibi constitutis, excessura.

* * *

Albanensis sedatio.

Ceterum, si dubia et mutila de bello hoc Africano nuncia, non minus a veritate remota quae de Albanensi seditione in ipsa Europa habemus, hinc rebellibus victorias suas decantantibus, inde Turcis, qui imperium belli sumnum Chefket Tourgont, prudenti ac strenuo duci, tradiderunt. Quum autem intentus hic adhuc sit festinare domi militiaeque bellum, neque in aciem exierit, nullum firmum iudicium emittere, imo provisionem nullam praeripere, cordato cuique viro licet.

PUBLICI PER ORBEM COETUS legibus ferendis

In **Anglia** examen legis ferendae ad publicos coetus innovandos alacriter producitur.

In **Austria** populi oratorum coetus dimissus, novaque comitia ad diem XIII proximi mensis Iunii indicta.

In **Borussia**, rationibus acceptorum et expensarum libratis, sessiones interruptae.

In **Hispania** novum administratorum collegium constitutum, praeside iterum Canalejas.

In **Hungaria** acceptorum et expensarum rationes pro tempore approbatae.

In **Russia**, Wvjewodski, rei navalis administro a munere recedenti, Grigorovics, alter a trierarcho, suffectus.

In **Turcarum imperio** exterarum rerum disceptatio favorabilis Rifaat Pacha evasit.

PER ORBEM

Die I mens. Aprilis MCMXI via per Lottschberg montem transfossum ferreis axibus sternendis sollempni pompa aperitur.

— d. VI, Bononiae, totius orbis philosophorum conventus I habetur.

— d. VIII, Romae, Diocletiani thermae, e superinductis aedificiis insulatae, additoque antiquatum Romanarum museo, invisentibus publice patent.

— d. X, ad Calabra Siculaque litora, insolita fulgensque lux sub vespere, quanam meteorica ratione ignoratur, ex improviso manans, magnum pavorem incolis affert.

— d. XII in Gallica Campania vinitores, ob quasdam novas leges latae, seditiones passim excitant, immensaque damna vinetiis atque apothecis apportant.

— d. XIII, ad Augustam Taurinorum, A. Franzoi, Africae explorator notissimus, miseram sibi mortem consciscit.

Atra procella et ventorum vis Boneareensem urbem pessumdat.

— d. XV, Bononiae et in oppidis circum, opifices omnes ex condicto a laboribus suis recedunt.

— d. XVI, Faesulis, inter illius theatri romani reliquias, nonnullis litteratis viris auctoribus, Sophoclea fabula *Oedipus*, magno plausu in scenis agitur.

— d. XVIII Fallières, Gallicae reipublicae praeses, Bisertam urbem visitaturus tenet.

— d. XXI, Urbis natali die, Romae ethnographica Italicarum gentium exhibitio sollempni ritu inaugurator a rege.

— d. XXIV, ad Augustam Taurinorum, Aemilius Salgari, milesiarum fabularum in usum iuventutis Italicus scriptor notissimus, improviso furorcedens sua ipsis manu atque atrociter vita priuatur.

— d. XXV Gustavus V, Suetiae rex, eiusque uxor Romam pervenient.

— d. XXIX, Augustae Taurinorum, omnium artium apud omnes populos publica recensio, coram Italorum rege, regalibus principibus, regni administris, senatoribus populique legatis maxima pompa reseratur.

IOCII

Tempus erat quum exigerentur pecuniae ab reipublicae moderatoribus imperatae. Eam ob causam Codrus una cum Basso ex agro contendebat in urbem. Per pontem ubi transeundum fuit: - « Ut - inquit - Venetiis, uni de pontibus nomen est factum a suspiriis damnatorum capite, ita hunc, quem modo attigimus, nuncupandum censuerim a gemitibus eorum, qui, ad pendenda altero quoque mense vectigalia coguntur.

Famulus quum duo praecella alabastra gestaret in aedium aula collocanda, unum imprudens humi deiecit, quod totum est confractum. Hero quaerenti quid fecisset, illico ostendit homo candidissimus, altero e manu non inconsulte emisso.

Pessimus turbarum concitator urbes ac pagos celebriores concursabat ut iucautam plebeculam sollicitaret. In oppidum quoddam venerat, quo die eos fines grando longe lateque vastaverat. Quamobrem in via passim cerneret conventicula de calamitate colloquentium, quorum unum ille audiens quum ita diceret, se, tempestate saeviente, sibi visum fuisse conspicere quod antiquitus non semel accidisse traditum memoriae est, scilicet pluisse lapidibus: — « Quam vellem - inquit - singularem rem ipse conspicere! ». — « Aisne? - cito oppidanus, - hodie, si ad coronam oraveris, voti composeris ».

T. CURZIUS.

Divitis filius.

I stituis leviter, polyplusie Candide, Christo Gnatum: cur Illum negligis? Odit opes.

EPISTOLARUM COMMERCII

Cl. v. T. T. CH..., *Chicagine*. — Ignoscas mihi, quae so, si tot curis oppressus nondum tibi satisfeci. Nova scripta excepti et gratias ago. Ubi primum potuero, ad te litteras mittam.

Cl. v. GUL.... BUND...., *S. Aloisii in athenaeo*. — Ex superiore numero facile tibi innotuit, scripta illa grata futura, quae itaque exspectamus. *Tragoediam* edere poterimus, de *Euplio* dramatica actione absoluta.

Cl. v. DON.... MA..., *Edderton in Scotia*. — Pro humanissimis verbis, quibus luctum meum apud me deplorasti grates repedo, sicut et tuum doleo. Illius « quinquennarii » commemorationem libenti animo accipiam.

Cl. vir MA... GA..., *Cavae et E. Qu..., Verulae*. — Spatio deficiente, ad proximum numerum.

F.

SOCIIS ET LECTORIBUS
MONITUM

Uti in superiore numero ediximus, apud Moderatorum nostrum venales depositae sunt aliquot *numismatum collectiones*, eorum scilicet quae, gesta Romanorum Pontificum referentia, quotannis in festo Apostolorum Petri et Pauli cudi solent.

Huiusmodi sunt numismata aenea omnia de Leone XIII et Pio X; argentea numismata pariter omnia de Pio X, et ab anno XIII ad XXVI inclusive de pontificatu Leonis XIII.

Sunt insuper de Pio IX, Leone XIII et Pio X plura alia, ad unum vel ad alium eorum Pontificatus annum spectantia.

Occasio praebetur nedum rara, unica si quis aliquod vel omnia emere cupiat.

AENIGMATA

I.

*Totum sume, canit; truncato vertice, pollet;
Caudam deme, orbat; viscera tolle, parat.*

II.

*Frigore correptus prior ut flos floribus haeret,
Et sole adverso plus adamante micat.
Ultimus in doctrina alter, qui primus in arte.
Toto laetentur hortus et ora tibi.*

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Doctorem IOSEPHUM FORNARI, Commentarii moderatorem (Roma, via del Governo Vecchio, 96) miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis accipiet PETRI ANGELINI opus, cui titulus:

LOLLIUS

sive

DE PROVECTA LATINITATE

Aenigmata an. XIV, n. II proposita his respondent:

1) *Pes - Spes*; 2) *Palea - r.*

Ea rite soluta miserunt:

Petrus Tergestinus — Alois. Cappelli, *Senis*. — F. Arnori, *Mediolano*. — Lucius Rhaetus, *Bucarestino*. — Aug. Seriban, *Iassii*. — Frid. Horwath, *Vindobona*. — I. M. Meunier, *Corbiniano*. — Alb. Catteau, *Lugduno*. — Fr. Baturewicz, *Zytorinia*. — Iac. Costa, *Dumio*. — Alex. P. Gest, *Trentonio*. — Paulinus a S. Iosepho, *Barcinone*. — Ios. Krause; Iud. Podobinski, *Cracovia*. — Rich. Brondel, *Brugis*. — Ant. Faverzani, *Merato*. — Eug. Dolmar, *Neo-Eboraco*. — A. Renevey, *Estavayer-le-Lac*. — F. X. M., *Drepano*. — P. Antonius dalla Venezia, *Venetis*. — Fr. Guerra, *Aleto*. — Guil. Schenz, *Ratisbona*. — Alb. Perraud, *Parisiis*.

Sortitus est praemium:

PAULINUS A S. IOSEPHO,

ad quem missum est opus, cui titulus:

VINCENTII LANFRANCHI
DE STILO PLAUTINO ACROASIS.

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus

ROMAE — Ex officina Societatis Editricis Romanae.

EUPLIUS

Actio dramatica a I. B. Francesia versibus senariis exarata.

EUPLIUS.

Sunt etenim !

VOLUSIUS.

Salvere primum vos iubeo,
Et aetas surgat auspicor felicior !

I. CHRISTIANUS.

Cur trudimur custodiam, te consule ?

II. CHRISTIANUS.

Vexat, occidit barbarus nos carnifex ?

III. CHRISTIANUS.

Licet dum ceteris libero pro arbitrio
Baccho servire, Marti vel Mercurio,
Docent operari cuncti qui turpia....

I. CHRISTIANUS.

Nobis servire denegatur Numini
Tulit quod rectam, crim'nisque nesciam
Legem !

II. CHRISTIANUS.

Quae fratres nos amare praecepit.

III. CHRISTIANUS.

Vetat tanti'lam ferre vel iniuriam.

IV. CHRISTIANUS.

Et omne fortiter sufferre et perpeti.

V. CHRISTIANUS.

Morique potius foede quam pollui.

VI. CHRISTIANUS.

Potens qui cuncta moderaris agmina
Deus, recedant caedes, cedant supplicia,
Saltem pro filiis !

III. CHRISTIANUS.

Tenellis parvulis !
Queis matres saepe consumuntur miserae !

VOLUSIUS.

Lubens, quid dicam ? persecuar consilium,
Sed omnium labitur seclorum pessimum.
Urget nam saeva Caesaris cupiditas,
Auri tot gentium inhiandi et sanguinis,
Movet quae fideles perdendi funditus.

EUPLIUS (*solemniter*).

Erit prope tempus civitas quo Catana.
Magna in quiete pacis et concordiae,
Nec fides amplius plectetur vinculis,
Et Agatha cunctis suis dominabitur.

CYRUS.

Adest Calvisianus et bonus Maximus...
Iuvat hinc ire ! Quid machinantur perfidi ?

VOLUSIUS.

Ite vos intro ! (*exeunt ceteri*).

SCENA VIII.

CALVISIANUS, MAXIMUS et VOLUSIUS.

CALVISIANUS (*introgrediens*).

Sed te expectat populus !
Tuis qui laetatur maxime muneribus.

VOLUSIUS.

Si me vocaret nunc bellorum buccina,
Non aetas etsi floreat ut antea,
Tamen mori foret dulce pro patria
Mihi : sed turpe nunc videtur homines
Mutuo occidi vulnere in solarium !
Ehu ! quantum mutantur mores et tempora !

CALVISIANUS (*ironice*).

Haud miror equidem tuam modestiam,
Soles qui gestare cor erga miseros.
Tui vidi pauperes pulsare saepius
Et confidentius fores palatii,...

MAXIMUS.

Hie est Christianus mos : in sinum volvere
Suam qua ceteri gaudent substantiam !
Hoc inquam !

VOLUSIUS.

Non ergo meo pro arbitrio
Meum quibus lubet queo concedere ?

CALVISIANUS.

At istum socii morem Christi gerunt !

VOLUSIUS.

Malum est ? Bonum ? Si erit bonum non pigeat
Ab ipsis sumere hanc vivendi regulam. (1)
Isti quos nimio vides vino tumidos,
Erunt Christiani ? Bonae sunt ipsi fruges !
Haud ipsi multos repellent Barbaros,
Multas nec merebunt laurus militiae.
His ergo pollet Romanus exercitus ?
Miles nec favebat ullis delicis.
En quae voluptas *panis vel circensium*
Turbam nepotum Romanorum rapit !
Meis nec oculis feram spectaculum.
Vale. (*Exit*).

CALVISIANUS.

Vidisti ?

MAXIMUS.

Vidi ! Parum nunc abest
Quin ipsum noverim Christi discipulum.

CALVISIANUS.

Macte virtute, Maxime ; dvitiae
Volusii cadent nostras in capsulas ;
Erit sed cumulus, cum gratia Caesaris !

MAXIMUS.

Sine modo ut mecum dolos concentriem
Cadant ut ipsi bellule in reticulam. (*Recedunt laetantes pae victoria*)

SCENA IX.

POPULUS, MILITES (*canentes*): (1)

Aetas cum rideat,

Quaeramus gaudia !

Flores nam transeunt !

Venit tristitia !

Bacchus nos adiuvet,

Pluto nos cumulet.....

Edamus laetus,

Cras enim morimur.

FINIS ACTUS PRIMI.

(1) Conglobatim exeunt ac transeunt ebrii, cino tumulenti, quorum alii
alios sustentant.